



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

SS. Irenæus & Abundius MM. 26. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

**Q**uid auro te vestis homo, si nobi-  
les animas etiam in cœno latentes  
Numen amat? quid opobalsama spiras,  
quando etiam inter latrinas (parce, si  
Superis parcis, & mihi) suavè tamen olet  
virtus? Age & qui nares sordidis rebus,  
ne aures nominibus nega: docebunt te  
hæc alta negligi à cælo, infima eligi.  
Erat IRENÆUS conditione vitæ homo  
omnium ultimus Romæ (in cloacas for-  
tunæ munus detruserat) in tantis for-  
dibus tamen candidissimum animum  
eumque Christianum circumtulit. For-  
tè D. Concordiæ corpus exanime, heu!  
non digno sepulchro, cloacâ tumulatur.  
Quærit hoc pietas Christiana, quærit  
& impietas Porphyrii militis; illa vir-  
tutis odore, hæc avaritiæ illecta, & num-  
mos investibus & gemmas subodorata.  
Atque hæc sua consilia Porphyrius IRE-  
NÆO detegit. Itur, eruitur Concordia  
nullâ spurcitie aspersa. Sed aurum &  
gemma Porphyrius excæcatus ab avaritiâ  
nullam videt. At hoc abeunte, I-  
RENÆO merum aurum & una gemma to-  
tum corpus Martyris visum. Igitur A-  
BUNDIUM in auxillium vocat, & ad Iusti-  
num Presb. thesaurum fert; ille terrâ  
abscondit. Sed & merces sua IRENÆO &  
ABUN-

27. Aug. VITÆ SANCTORUM. 537

ABUNDIO constitit. Vivi enim in cloacam demersi à Valeriano animas pulcherrimâ tamen morte posuerunt. Itaque etiam sanctior ludit fortuna, quando non jam ab aratro, sed è cloacâ ad purpuram & ad Martyrum purpuram vocat. Ex actis D. Laurentii.

*Quantò quis altius se per tumorem mentis erigit, tantò magis in imo despicabilius jacet. E contrario eò honorabilius humilis coram Deo provehitur ad summa, quò per vilem sui astimationem se vilipendendo magis collocat in profundo. S. Laur. Iust. de Humil.*

SS. AURELIUS & NATALIA MM.

27. Augusti.

**O** *Quàm pulchra est casta generatio!* quæ tantum splendorem etiam thalamo conciliat. Audi orbis, & si vides, hunc juxta mecum vide. Sustulerat jam AURELIUS è conjugè NATALIA geminam prolem, ab hinc ergo castitati placuit, non liberis vacare. Sed & cælo hoc cum primis placuit, cujus oculos nulla alia tam facile virtus, ut castitas rapit. Certè ocellus cæli Christus inter Angelorum comitatus visus descendere, & hic quidem benedicere cubantibus, illi tapete candido etiam pavimentum, quod tam pudici pedes premebant, vestire. Virginum etiam Regina

Li 5 ad